



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Compendium Totius Tractatus De S. Matrimonij
Sacramento R. P. Thomæ Sanches E Soc. Iesv**

Sánchez, Tomás

Coloniæ Agrippinæ, 1624

O.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41559

tas, & impunè transeat ad tertias, & vltiores nuptias. Secus dicendum, quando fœmina transiens ad secundas nuptias, est minor, aut quando filius moritur post ætatem pupillæ. Æ. Vltimus casus est, quando coniux de licentia Principis ad matrimonium transeat; quod privilegium intelligitur absque præiudicio tertij, *lib. 7. disp. 89 à nu. 41. vsque ad finem.*

O

Occasio.

Licitum est permitttere, seu non auferre mali occasionem ob aliquod maius bonum, v. g. vt aliquis deprehensus resipiscat, *lib. 10. disp. 12. nu. 52.* Offerre tamen talem occasionem, aut consulere, nunquam licet, *ibid. num. 53.*

Opinio.

1 Opinio singularis alicuius Doctõris sustinentis matrimonium, præfertur plurimum sententiæ illud impugnantium: nisi textus aucto-
rito imitatur, *lib. 1. disp. 18. nu. 7.*

2 Opinio parum probabilis & tuta potest ratione magni periculi amplecti, *lib. 2. disp. 36. num. 8.*

3 Opinio communis, aut verior non dicitur ex multitudine authorũ perfunctorie tractantium, *lib. 3. disp. 44. nu. 2.*

4 Opinõibus existentibus, an aliquis sit legitimus parochus ad assistendum matrimonio, vel audiendas confessiones; vel an aliqua licentia sit legitima; vel privilegium Bullæ sit

P

reuo-

reuocatum, vel extendatur ad talem casum, & opinio negans sit coram Deo vera; dum ea veritas latet, & probabili sapientum opinione habetur esse legitimum parochum, vel legitimam licentiam, &c. valent confessiones, & matrimonium, *lib. 3. disp. 23. nu. 67.*

Ordinarius.

1 Ordinarius censetur, vt possit interesse matrimonio, & dare licentiam illi assistēdi, Episcopus in sua diocesi, & Archiepiscopus in sua. Item Capitulum sede vacante potest assistere matrimonio, vel dare licentiam. Itē Abbas Ecclesiæ nulli Episcopo subiectæ, Cardinales in Ecclesijs sui tituli. Itē legatus in Provincia suæ legationis. Non potest tamen Ordinarius interesse matrimonio subditorum Abbatum Ecclesiæ non subiectæ, nec suffraganei, nisi cognita causa per appellationem, *lib. 3. tota disp. 28.*

Ordo.

1 Episcopus potest Ordines negare ob irregularitatem occultam, *lib. 3. disp. 15 nu. 12.*

2 Recipiens ordines cum dimissorijs Capituli se de vacanti nō potest eas cōcedere, ipso facto amittit priuilegia absque iudicis sententia, *lib. 7. disp. 46. nu. 20.*

3 Continentia est annexa Ordini sacro solum de iure Ecclesiastico, & conuenientissimè etiam Ordini Episcopali. Quæ abstinentia obligat abstinere à nuptijs, & ab omni actu venereo, *lib. 7. disp. 27. à nu. 1. vsque ad 8.*

4 Con

4 Continentia annexa Ordini sacro obligat ex voto etiam ignorantem talem continentiam esse annexam ordini sacro; non obligat tamen ex voto promotorum ad Ordines habentem intentionem expressam, minimè se ad continentiam obligandi, *lib. 7. disp. 27. à nu. 9. usque ad 12.*

5 Inualidè ordinatus potest licitè & validè inire matrimonium, *lib. 7. disputat. 27. numer. 13.*

6 Initiati sacris Ordinibus non tenentur duplici obligatione ad castitatem, nempe ex voto, & Ecclesiæ constitutione, *lib. 7. disput. 27. numer. 14.*

7 Votum Ordini sacro annexum per se, & simpliciter, est solemne instar voti professorum. Et vota profitentium, & Ordinis non differunt inter se specie, neque etiam à voto simpliciter, sed per solam Ecclesiæ constitutionem decernentis hæc duo vota dirimere matrimonium, non autem votum simplex, *lib. 7. disp. 27. nu. 17. & 18.*

8 Ordo sacer dirimit matrimonium subsequens, solo iure Ecclesiastico, impedit verò illud iure naturali, ratione voti annexi, *lib. 7. disp. 28. nu. 11. & 12.*

9 Ordo sacer metu licet non cadenti in constantem virum, sed solum tali, ut præ timore illius ordinatus, & eo remoto, siue ante matrimonium assumptus, siue post, non obligat ad castitatem, nec ad horas, nec dirimit

matrimonium; nec impedit vsum in illo. Secus dic, quando ratificauit vtrens ordine suscepto, vel si iusto praelati præcepto fuit compulsus ad Ordines, *lib. 7. tota disp. 29.*

10 Ordo sacer ante vsum rationis susceptus, non obligat ad continentiam, *lib. 7. disp. 30. nu. 4.*

11 Ordo sacer ante pubertatem assumptus non obligat continere, nec recitare officium diuinum, nisi adeptus pubertatem ratificet, & potest resilire ante pubertatem, vel statim ac pubertatem adeptus est, *lib. 7. disp. 30. à nu. 6. vsque ad 14.*

12 Ordines minores nullum profus impedimentum matrimonio præstant. Nec Ecclesie integrum est illis continentie legem indicare, licet existimet recipiens, illis vtrum esse annexum, *lib. 7. disputat. 31. numer. 3. & 5.*

13 Initiati prima tonsura, aut minoribus Ordinibus, contrahentes cum vidua sine iusta causa, peccant venialiter. Nulla tamen est culpa si contrahant absque causa cū vnica & virgine, aut cum vidua cum iusta causa, *li. 7. disp. 3. à nu. 7. vsque ad 14.*

14 Qui initiatur prima tonsura, vel ordinibus minoribus non tenetur animum ad sacros ordines ascendendi habere. Quare absque illa intentione potest illis insigniri. Accipiens tamen illos intendens declinare fori secularis iurisdictionem, non esse mortale, *lib. 7. disp. 31. nu. 16. & 17.*

15 Coniugatus, nec ante, nec post matrimonium consummatum, potest ad Ordines sacros, nec minores ascendere, sine spontanea coniugis licentia, quamvis animum habeat statim ante consummationem transcundi ad religionem. Licita tamen erit assumptio Ordinum, siue post, siue ante consummationem ex Pontificis licentia, *lib. 7. disp. 38. à num. 1. usque ad 6.*

16 A coniugato uolenti ad primam consummatam ascendere, ultra requisita ex parte uxoris, petendum est uorum continentiae. Item non potest ad eam promoueri, nisi velit ad sacros ascendere, *lib. 7. disp. 38. nu. 8. & 9.*

17 Vir sine uxoris licentia promotus ad sacros Ordines, potest ab ipsa reuocari. Idem si licentia fuit dolo, aut metu extorta, & ille ad Summum Pontificatum prouectus. Idem si uxor nec consensit, nec dissensit, sed dissimulauit, *lib. 7. disp. 38. à nu. 11. usque ad 15.* Ille tamen sic ordinatus, illa non repente, non potest ad illam redire, *ibid. nu. 16.*

18 Vir absque licentia expressa & spontanea uxoris ad Ordines promotus, & ab ipsa reuocatus, quando promotio fuit ante consummationem, non tenetur ingredi Religionem, quamvis sit initiatus ipso animo, & monitus, ut ingrediatur. Et reuens, cogendus est consummare non interueniente dispensatione Pontificis in tali matrimonio. Et quando promotio fuit post consummationem, & reuocatus est

ab vxore, illi tenetur reddere, sed non petere. Et illa illi petenti non tenetur reddere, & ille, illa defuncta, non potest validè transire ad alias nuptias. Secus dicendum de professione facta sine eius licentia, *lib. 7. disp. 38. à num. 17. vsque ad 24.*

19. Ut licitè vir ad Ordines promoueat ex vxoris beneplacito, requiritur, quod illa sit se- nax, & non suspecta de incontinentia, & votum fecerit castitatis in sæculo. Et si fuerit iu- uenis, tunc requiritur, ingressus ipsius in Re- ligationem. Licentia tamen Episcopi non re- quiritur, *lib. 7. disputat. 39. à num. 2. vsque ad 7.*

20. Vir licitè sacris initiatus, casu quo illa manet in sæculo cum voto, non potest habita- re cum vxore, si sint suspecti. Secus, si suspecti minimè sint. Tunc enim satis est, cubiculum sequestrare. Non tamen in eodem lecto, & ca- mera permittendi sunt, nec in eadem domo moraliter loquendo, existimat Doctor, etiam si suspicione careant, *lib. 7. disp. 39. nu. 8.*

21. Vir sola vxoris licentia promotus ad or- dines absque alijs iure requisitis, potest ab ipsa reuocari, quando illa fuit ignara iuris cetera disponentis. Secus, quando erat conscia. Quar- reuocatio non fit iure actionis competentis vxori, sed ex officio iudicis, *lib. 7. disputat. 39. num. 12.*

22. Coniux innocens promotus ad Ordines absq; vxoris licentia, non est illi restituendus: post-

postmodum fornicanti, *lib. 7. disp. 36. nu. 4.*

23 Coniux innocens promotus ad Ordines, sumere, & religionem ingredi, & votum castitatis emittere potest adultero manenti in saeculo sine voto. Nec desideratur sententia diuortij, quando adulterium est notorium. Et in foro conscientiae satis est, quod sit occultum, secluso scandalo. Et quando adulterium est notorium, ita potest, inuito adultero, ad religionem transire, vt non possit repeti, ac si praecessisset sententia diuortij. Et in omnibus casibus, in quibus potest profiteri, potest etiam ordinari, *lib. 10. tota disp. 11.*

24 Vir non potest recipere Ordines, aut ad religionem transire, ratione furoris, aut sauitiae vxoris, quando non datur diuortium perpetuum, *lib. 10. disp. 18. nu. 48. & 49.*

Osculum.

1 Oscula, tactus, aspectus, & verba turpia inter coniuges ad praeparationem copulae, & animo ad illam perueniendi, sunt liciti. Tamen propter voluptatem sunt veniales. Nulla tamen est culpa, quando non habent alium finem, quam praebere indicia mutui amoris. At tamen culpa est venialis, quando oscula, & tactus habentur inter coniuges sine periculo pollutionis. Idem credit Doctor de tactu, quo coniux membrum virile in os foeminae intronmittit cum animo seminandi intra vas. Veniale est etiam coniugem se tangere propter voluptatem captandam sine periculo

culo pollutionis, *lib. 9. disp. 44. à num. 8. vsque ad 17.*

2 Oscula, & tactus inter coniuges cum periculo pollutionis in altero reddente, sunt liciti, modo non sit consensus in ipso reddente in pollutionem illam, in perente autem erunt mortales, quando absque causa urgente excusentur, *lib. 9. disp. 45. 35. & 56.*

3 Oscula, & tactus impudici in coniuge petente cum pollutionis in se, vel in altero coniuge periculo, nisi in eo loco sint, ubi, adueniente periculo, possint facillè copula uti, & pollutionem vitent, sunt semper mortales. Secus dic. de osculis, & amplexibus, quæ sunt exercita causa præbendi indicia mutui amoris, turpitudine carentes. Item est mortalis tactus, quo coniux se ipsum tangit cum periculo pollutionis, *lib. 9. disp. 45. à nu. 37. vsque ad 39.*

4 Oscula, & tactus sunt de se indifferentes. Unde habita in signum benevolentie secundum consuetudinem patrie sunt liciti. Secus dicendum de osculis, & tactibus inter solutos etiam eiusdem sexus ob solam veneream delectationem, & sensibilem ex ipsis consurgentem, quia sunt mortales, nisi paruitas materiae excuset, *lib. 9. disputat. 46. à num. 2. vsque ad 9.*

5 Oscula, amplexus, & tactus non omnino turpes, & impudici, solum habiti ioco; causa vanitatis, & leuitatis, vel alia simili absque delectatione venerea, sunt veniales. Sunt tamen mor-

cales tactus impudici, siue sint inter personas eiusdem, vel diuersi sexus, *lib. 9. disp. 46. à nu. 10. vsque ad 12.*

6 Exosculari affectuose, & magna cū suauitate molles infantium carnes, non est mortale, nec sæpè veniale, *lib. 9. disputat. 46. numer. 13.*

7 Est mortale propria verenda tangere venerea delectatione ex eo tactu orta. Secus de tactu ex curiositate, aut gratia manus calefaciendi absque libidine, & pollutionis periculo, *lib. 9. disp. 46. nu. 14.*

8 Communiter non est mortale obscœnas brutorum partes confricare, quamuis confricans intendat, vt brutum semen expellat; *lib. 9. disp. 46. nu. 15.*

9 Tactus leues, vt manuum fœminæ. Item pedem, vel brachium premere, vellicare, digitos in torquere, non sunt communiter peccata mortalia, sed venialia. Idem dicendum, quando sunt habiti ob caprandam delectationem illam, quæ ex ipsis oritur. Secus dicendū, quando intenditur alius finis mortalis, *lib. 9. disput. 46. nu. 16. & 17.*

10 Oscula, amplexus, alijque tactus non impudicè inter sponfos de futuro, non sunt mortales, licèt sint habiti causa delectationis, dummodo non adsit periculum copulæ, vel consensus in eam, *lib. 9. disput. 46. à num. 47. vsque ad 50.*

11 Oscula, & amplexus, habita inter sponfos

Los de futuro in signum benevolentiae, & mutui amoris, sunt omninò licita. Si tamen finis fuerit delectatio, erunt venialia, *lib. 9. disput. 46. nu. 51.*

12. Tactus impudici nullo modo sunt liciti sponsis de futuro, & non sunt permittendi soli, *lib. 9. disp. 46. nu. 52. & 53.*

13. Oscula, & alij tactus in loco publico cum vxore sunt mortalia, quando inducunt praesentes ad venerem, spectata eorum fragilitate, *lib. 9. disp. 13. nu. 2.*

P

Pactum.

Pactum in sponsalibus appositum habitandi in certo loco, & poena apposita valet, frangenti fidem. Nisi noua recedendi causa superueniat; licet pactum iuramento firmatum sit. Et si nulla veniente causa iusta maritus recedat, vxor non tenetur comitari illum, *lib. 1. disputat. 40. à num. 1. vsque ad 6.* Item valet pactum appositum in primogenijs, vt successor sub poena amissionis maioratus teneatur in certo loco habitare, *ibid. num. 7.*

2. Pactum non petendi, nec reddendi mutuo coniugum consensu validum est. Potest tamè vterque illud remittere, etiam si fuit iuratum in fauorem vtriusq;. Secus si ad Dei cultum. Et nolente altero remittere, alter nò potest eum cogere, nec ille renuens tenetur reddere.